

,Volentes' et qualibet alia constitutione apostolica contraria non obstante. Decernimus insuper omnes et singulas excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias, quas contra ecclesiam Misnensem civitatem diocesim iura et pertinentia huiusmodi forsitan promulgari contigerit, irritas et inanes nulliusque roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis liberationis susceptionis voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud sanctum Petrum II. Idus Decembris pontificatus nostri anno undecimo.

Gratis de mandato domini nostri papae.

Gerlacus.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.  
Pelzel Lebensgesch. d. K. Wenceslaus II. Urk. S. 30 f.

No. 752. 1399. 12. Dec.

*P. Bonifacius IX. ertheilt auf Ansuchen des Markgrafen Wilhelm diesem und seinen Regierungsnachfolgern unter Aufhebung aller entgegenstehenden Bestimmungen das Recht der Besetzung der ersten vier zur Erledigung kommenden Domherrenstellen und grösseren Präbenden.*

Bonifacius episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Eximiae devotionis sinceritas, quam dilectus filius nobilis vir Wilhelmus senior marchio Misnensis ad nos et Romanam gerit ecclesiam, ac eius status eminentia promeretur, ut non solum ipsum, sed etiam illos, qui ei studio devotionis et fidelitatis adhaerent, apostolicis favoribus et gratiis prosequamur. Sane petitio pro parte dicti marchionis nobis nuper exhibita continebat, quod in castro suo in Misna, quod unum de melioribus fortalitiis sui marchionatus existit et per quod idem marchionatus ut plurimum defenditur et a noxiis praeservatur, sit sedes cathedralis ecclesiae Misnensis sub vocabulo sancti Donati dedicata, cuius quidem ecclesiae Misnensis quasi omnes fructus et proventus de territorio marchionum Misnensium provenire noscuntur, quodque marchioni Misnensi pro tempore existenti summe necessarium fore dinoscitur, in dicta ecclesia aliquos habere canonicos, qui velut praecipui zelatores status et honoris dicti marchionatus ipsi marchioni sedulis studiis assistant et debita fidelitatis obsequia impendant. Quare pro parte eiusdem marchionis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ius patronatus quatuor canonicatum et totidem praebendarum maiorum, quos primum in dicta ecclesia, in qua maiores et minores praebendae fore noscuntur, vacare contigerit et praesentandi personas idoneas ad eosdem dum vacabunt, sibi ac successoribus suis marchionibus Misnensibus, qui pro tempore fuerint, imperpetuum reservare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes eiusdem marchionis honorare personam et per honorem sibi exhibitum aliis etiam provideri, huiusmodi supplicationibus inclinati ius patronatus quatuor canonicatum et totidem praebendarum maiorum, quos primum in dicta ecclesia vacare contigerit, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis marchioni et successoribus praefatis auctoritate